

*Domino Deo suo. Non saluabo eos in arcu & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.* Id est. Regnum Israël non reparabo, Regnum tamen Iuda, quanuis erit vincendum, & captiuum in Babyloniam abducendum, non carebit misericordia tamen. Redibunt enim illi in patrias sedes, duces etiam sunt habituri, imò & regia dignitate fruuntur. Id experientia monstrauit. Habuit enim Iuda Zorobabelem, Nehemiam, Machabæos, ex quibus Reges postea floruerunt. vt nobis tradit Iosephus. ¶ Hæc tamē Iudaici imperij restitutio, non fiet arcuum & armorum violentiâ: sed Dei benignitate, dantis gratiam Zorobabeli, Esdræ, & Nehemiæ coram Regibus Persis, & Assyrijs. Nam absque vllis armis Cyrus concessit facultatem Iudæis redeundi in Iudæam: & post 40. ferè annos, Darius Longimanus concessit templi ædificationem, & inde post 14. annos concessit, vt Nehemias Ierosolimam cingeret muris. ¶ Tu Christiane lector, vehemētissimè nota verbum, Saluabo eos in Domino Deo suo. Ergo per sona alia est quæ saluat, & alia in qua, per quam, & propter quam saluat. Vt intelligamus, Deum Patrem dicere, Ego Dominus Pater saluabo Iudæos in Domino Filio, qui Deus eorum est. Euincit ergo locus hic distinctionem Personarum Patris qui saluat, & Filij, in quo Pater saluat. Euincit item, quod Filius sit verè Dominus, & Iehoua, vt Pater est. Nam hæc litera dicit, Saluabo eos in Iehoua Deo suo

Hagge.

Zacha.

1. Machab.

Ioseph.

1. Esd. 5.

2. Esd. 1.